



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Abrmius Er. 16. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. ABRAMIUS ER. 16. Martij.

ABRAMIUS nobili loco natus, ipso festo nuptiarum suarum die, cum domum sponsa ducenda esset, damnato thalamo, & sponsæ & mundo se subducens, in loca sola aufugit. Inde sacris initiatus, efferam gentem longâ patientiâ, & supra quàm credi potest, magno labore Christo subegit. sub hæc Maria neptis ex fratre, quam ille à teneris, moribus optimis ac summâ pietate imbue- rat, cum semel lapsa esset, per omnia deinde vitia voluta, ex eremo demum in mundum (hoc est ex cælo in orbem) præceps ivit. Jam publica infamia & scopu- lus audiebat castitatis, cum ostento di- vinitus objecto ABRAMIUS draconem vidit immani rictu columbam incautam deglutire, qui tamen mox medius ruptus aëri & libertati pavidam redderet. Hoc viso animatus, cum & fugam lapsa, & reditum resipiscentis non malus vates ominatus esset ingenium ecce exerit, & id ætatis senex militem induit atque ur- bem petit. Hic qui L. ipsos annos vi- num nec libaverat, convivium instruit, mensæ neptem adhibet, quæque ad hi- laritatem faciunt, omnia facit pius au- ceptus. Mox tamen captâ in tempore oc- casione, quis sit? aperit. cur venerit? ex- ponit. Tum verò verbis Deo plenis ag-
gredi-

176 VITÆ SANCTORUM. 16. Mart.
greditur, & primò mirari, deinde nuta-
re, tum cedere, demum manus dare
Mariam cogit. quid multis? ad colum-
baria Eremitæ reducit. Quid ibi, ais, co-
lumba capta? nempe gemuit. *Ex vitis PP.*

*Deus ob ineffabilem misericordiam, Cru-
cem propter nos sustinuit; cur non & nos er-
ga proximos justissimus, & agnoscentes es-
t ut membra nostra, & eripientes ex Diabo-
li faucibus in viam virtutis reducamus?*
S. Chryf. in Gen. hom. 3.

B. TORRELLUS C. 16. Martij.

Pettum videre te alterum puta, cum
TORRELLUM vides. Nam &
hic forte fortunâ gallum in humeros in-
volantem, tertioque cantantem audivit,
flevit, resipuit, & ex Veneris, cui melio-
rem aetatem devoverat, mancipio cæci
delicium factus, quidquid pauculis an-
nis in urbe peccavit, LX. omnino annis
inter silvas damnavit. In his civium illi
frequentia arbores, tectum cælum, vestis
seorsum porci corium, arma, quibus in
se utebatur, catena ferrea, delicia panis
& fons, cubile terra, plumæ sarmenta,
cervical lapis fuere. Sic quoque non ni-
si tres horas somno, reliquum omne
noctis lacrimis transcripsit, tunc et-
jam credo à gallo experges factus. Vene-
ris flammis vel vepribus suffocavit,
vel gelidâ extinxit. Sportulam lautam
unctam-